

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (62)

4.15.6.3. De museo missionario

Sicuti commemoratum est, pars aedificii coniunctorii inter novum aedificium monasterii atque ecclesiam museo destinata erat, nempe pedeplana et cellarium.

Tamen Museum Africae, uti illo tempore adhuc appellabatur, non erat institutio nova.¹ Iam inde ex initio Ottiliani laboris missionarii in Africa Orientali exanclati missionarii varias res, quas acquisiverant et quae ad vitam cottidianam gentium Africanarum spectabant, et animalia medicata sive ad medicationem praeparata domum miserunt. Scopus huius modi agendi erat in eo, ut alumnis gymnasii atque monachis, qui in monasterio Ottiliensi versabantur, conspectus cultūs civilis Africani animaliumque praeberetur et iidem hunc in modum ad aspectum quendam laboris in missione futuri praepararentur. Huic collectioni itaque imprimis aspectus didascalicus erat. Ceterum



Instructio ad animalia praeparanda.

praeterea ad curriculum alumnorum monachorumque iuvenum pertinebat, ut labores practicos addicerent, quibus animalia mortua praepararentur.²

1 De nonnullis aspectibus historiae musei *cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 162 sqq., pp. 177 sq.; breviter etiam Claudius BALS: Erzabtei St. Ottilien 2000, pp. 3 sqq.

2 *Cfr* ex.gr. explicatio in periodico, q.e. «Heidenkind» 1898, p. 97 exhibita.



Instrumenta, quae ad animlaia praeparanda pertinent.



In opificina praeparationis.


Iam in monasterio Sancti Andreae aedificando anno 1891° inter praecogitationes in angulo septentrionali-orientali huius aedificii oecus maior ad collectionem recipiendam provisus erat, qui in ichnographia appellabatur «Museum». Num obiecta revera ibīdem locum suum invenerint, non satis patet.

oeco quodam aedificii Sancti Michaelis instructa erat,⁵ quod aedificium illo tempore seminario scholari fungebatur.

Scilicet collectio rerum continenter crevit, quā de causā locus in illo oeco monasteriali satis celeriter non iam suffecit. His condicionibus P. Dominicus adductus est, ut de novā solutione deliberaret.⁶ Eandem invēnit in domunculā portariā in oriente aedificii Sancti Andreae sitā, cui inde ex anno 1897^o pars quaedam adiuncta erat. Illam partem P. Dominicus anno 1902^o amplificandam curavit. Sed huic additamento erat tectum cuneatum⁷ satis planum, cui praeterea fenestrae obliquae insertae erant, ut oecus inde lumen diurnum acciperet. Illuc anno 1902^o obiecta exhibitionis translata sunt, quae deinde in mensis specialibus atque in armariis vitreis exhibebantur. Idea principalis, quam P. Dominicus secutus est, secundum rationem praecogitam satis bona quidem erat. Minus bona tamen erat ipsa pars aedificii, quae aliquo museo omnino non erat apta, cum aedificium profundius quam circumiecta situm erat, ita ut aqua pluvia in oecos musei influeret et insuper propter tecti fenestras obliquas aestivo tempore res exhibitae radiis solis nimis vehementibus expositae essent et hiemali tempore nix liquefacta per fenestras intrans eisdem noceret.

Propter condiciones inopportunas obiectis exhibendis feliciter accidit, ut solum duos annos in hac structurā adiectā manere debuissent. Nam locus magis aptus inventus est, postquam prīstinum monasterium Sororum Sanctae Catharinae in scholam transmutata est atque discipuli in fine anni 1904ⁱ ex aedificio Sancti Michaelis illuc transmigraverunt.

Propter novam destinationem aedificii Sancti Michaelis, quā domus exercitiorum atque agriculturae schola hiemalis fieret, ibīdem locus musei parari



P. Dominicus Enshoff.

5 Cfr Heidenkind 1898, p. 97.

6 De hōc temporis spatio historiae musealis cfr Chron. Ottil., m. Iun. a. 1902; Missionsprokura (s.a.), 1, p. 1 (ASO, K.8); Mbl 6, 1902, p. 91; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 162, p. 284; Konrad HECKELMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 21 (ASO, A.14.0), qui tamen per errorem novum additamentum aedificii alio loco fuisse indicat. - Cfr etiam Vol. 1, cap. 2.6.2.3.


7 tectum cuneatum: *Satteldach*. - Christian HELFER: Lexicon Auxiliare. Saraviponti ³1991, p. 471.

potuit. Itaque discipulis transmigratis Africanae res cottidianae artificiaque in domum Sancti Michaelis transferebantur et hunc in modum artefacta cum collectione zoologicā coniungebantur.⁸ Usque ad illud temporis momentum res exhibitae, quae docentiae causā invisi potuerunt, semper intra clausuram asservabantur, id quod museo in domum Sancti Michaelis transmigrato



Discipulis obiecta musei a monacho explicantur.

mutabatur. Tamen museum etiam tunc publice non erat accessibile, sed solum hospitibus singularibus interdum aditus circumductionibus specialibus concessus est.



Ichnographia domūs Sancti Michaelis, quā oeci musei indicantur.


8 De musei oecis in aedificio Sancti Michaelis breviter Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 177 sq.

Secundum aedificii ichnographiam paene tota pedeplana domūs Sancti Michaelis museo complectebantur, cum refectorium prīstinum, prīstinus oecus festis destinatus, prīstinus classis oecus adiunctus, prīstinus oecus musicus atque nonnulla ambulacra coniunctoria includerentur. Ibīdem ergo museum



Musei oecus in aedificio Sancti Michaelis situs.

paulo extendi potuit. Monstrabantur Africanæ res usuales, vestimenta, instrumenta musica, ectypa tuguriorum et similia, sed etiam mnēmosyna



Novi musei ichnographia pedeplanorum.

missionariorum interfectorum, et inter haec praeterea animalia medicata ex Africā exoriunda.⁹ Num illa exhibitio bonam structuram habuerit, tamen non

⁹ Cfr ex.gr. descriptio in periodico, q.e. «Heidenkind», 1907, pp. 130 sq. invenienda.

manifestatur.

Hae solutiones quadamtenus provisorie instructae finem habuerunt, cum novum aedificium monasterii confectum erat et cum omnibus rebus exhiben-



Opera fabrilia, quae ad pellem atque corium pertinent.

dis transmigratio in novos musei oecos fieri potuit. Haec transmigratio in fine mensis Septembris a. 1911ⁱ incohata est.¹⁰ Cum oecus, qui immediate infra



Obiecta ex collectione F.ris Baptistae Krimbacher, quae ad fumationem spectant.

sacristiam situs est, statim instrui posset, reliquis in oecis adhuc laborabatur atque praeparationes fiebant. Oecus magnus in pedepianis musei situs rebus

10 Cfr Chron. Ottil., m. Sept. a. 1911; Ann. Ottil., 21.9.1911, p. 116 (ASO, A.3.4.3); Jahresbericht der Missionsbenediktiner 1911. In: Mbl 16, 1911, p. 178; Konrad HECKELMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 32 (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 163.

cotidianis ex Africa exoriundis instruebatur,¹¹ id est praeter alia rebus domesticis, instrumentis, operibus variarum artium fabrilium, sed etiam Africanis animalibus medicatis. Collectio autem Africana decursū temporis scilicet magis magisque amplificata est, exempli gratiā obiectis, quas Fr. Baptista Krimbacher¹² spatio temporis, quo inter annos 1912^{um} et 1914^{um} in missione versabatur, apud gentem Gogo, quae in regione septentrionali-occidentali Tansaniae vivit, acquisiverat.¹³



Nonnulla animalia Africana in dioramate conspicienda.

Dum obiecta exhibitionis in museo collocantur, monachi adhuc occupati erant in minore oeco laterali, qui a magno oeco Africae separatus est, diorama instituire, in quo Africana animalia medicata ante Africanam regionem in

11 Hic oecus magnus ex illo tempore oecus Africae appellatur.

12 Fr. Baptista Krimbacher, natus die 20^o m. Apr. a. 1876^o in vico Bidingen in dioecesi Augustanā sito, vota sua die 19^o m. Mart. a. 1901^o in monasterio Ottiliensi protulit. Fr. Baptista primo in procurā missionis cooperatus est, sed deinde Kal. Sept. a. 1912^o in Africam Orientalem emissus est, ubi in statione Bihawana apud gentem Gogo laborabat. Anno 1914^o ad Germanicas copias tutelares accitus est, anno 1916^o in captivitatem incidit et usque ad annum 1920^{um} in Anglicis castris Ahmednagar in Indiā sitis retentus est. Inde die 16^o m. Febr. a. 1920^o in Archiabbatiam Ottiliensem revertit et tunc labores suos in procurā missionis iterum suscepit. Fr. Baptista die 16^o m. Oct. a. 1956^o in Archiabbatiā Ottiliensi vitā functus est. *Cf.* Necrologium 2015, nr 0564, p. 62; PA Krimbacher (ASO, A.1.1).

13 Obiecta a F.re Baptista Krimbacher acquisita ut collectio integra in inventarium musei missionarii assumpta sunt.



Leones venatione efficaciter factā.

pariete pictam exhibentur.¹⁴ Ibīdem monstrabantur varia animalia Africana, nonnulla - velut leones - etiam in scaenis, quae cum venatione efficace cohaerebant. Imprimis commemorabatur praeterea caput elephanti, quod in



Caput elephantuli in angulo dioromatis affixum.

angulo parietum affixum erat.¹⁵ Quod attinet ad picturam parietalem, sictū dignum est ibīdem praeter ipsam regionem etiam sciāgraphia urbis Daressa-

14 Commemoratur hoc diorama Chron. Ottil., m. Febr./Mart. a. 1911; Ann. Ottil., 15.12.1911, p. 120; 22.2.1912, p. 124 (ASO, A.3.4.3); Jahresbericht der Benediktiner-Mission 1912. In: Mbl 17, 1912/13, p. 242; Konrad HECKELMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.) 1, p. 33 (ASO, A.14.0). Maria HILDEBRANDT (2008), p. 163 per errorem scribit hoc diorama in cellario novi musei exortum esse.

15 Chron. Ottil., m. Dec. a. 1911 praesertim aures magnae elephanti eiusque oculi feri afferuntur. - Ille elephantulus hodiernis temporibus in dioramate adhuc exstat, sed revera magis affabiliter spectat.



Sciāgraphia urbis Daressalamensis cum ecclesiā cathedrali.

lamensis exhiberi, quā illius urbis ecclesia cathedralis monstratur, quae revera ex mari conspiciebatur. Hunc in modum coniunctio cum missione Benedictinā ante oculos ponitur, quia hanc ecclesiam cathedralem anno 1901^o confectam missionarii Ottiliani aedificaverant.¹⁶

Cum transmigratio in novum museum fieret, praeter missionem Africanam inde ab anno 1909^o etiam missio Coreana initium ceperat, quā de causā paulatim plura pluraque obiecta quōque ex Coreā exoriundā ad Abbatiam



Coreana vasa itineraria.

Ottiliensem pervēnērunt (et postea insuper ex aliis regionibus missionariis). Itaque «Museum Africae» usque tunc sic appellatam aliud nomen «Musei

16 *Cfr* Meinrad DUFNER: Vom Kirchenbau der Missionsbenediktiner. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 428.

Missionis» accepit.¹⁷ Etiam musei pars Coreana satis celeriter crevit, ad quam extentionem non solum missionarii in Coreā operantes multum attribuerunt,¹⁸ sed Archiabbas quoque Norbertus Weber, qui in visitationis itineribus suis Coreanis anno 1911^o et 1924/25^o factis, multa obiecta acquisiverat.



Candelabrum Coreanum.

Candelabrum Coreanum pulchrum hic exhibitum, quod prioribus temporibus in aliquo templo constitutum erat, idem in Coreano itinere suo secundo acceperat.¹⁹ - Praeter res usūs cottidiani atque artificia et Africana animalia medicata in museo per aliquod spatium temporis scaenae quaedam ex Africanā vitā cottidianā depromptae monstrabantur, quae ex fuguris, quibus magnitudo hominis vivi erat, compositae erant. Exhibita erat exempli gratiā mulier quaedam Africana cum duobus infantibus, quae farinam molebat, vel homines leprosi, qui a Sorore missionariā curabantur. Tamen hae scaenae aliquando ex museo iterum amovebantur.

17 Iam in relatione, quae est Jahresbericht der Benediktiner-Mission 1912. In: Mbl 17, 1912/13, p. 242, nomen «Museum Missionis» adhibetur.

18 Usque ad reditum suum ex Coreā anno 1929^o praesertim P. Andreas Eckhardt Coreanista multa artificia collegit, quae Museo Ottiliensi destinata erant.

19 Candelabrum atque conexūs Norbertus Weber describit in Coreano diario suo itinerario 1924/25, 5.6.1925 (ASO, A.1.8.1) et in libro suo, cui titulus est «In den Diamantbergen Koreas». St. Ottilien 1927, pp. 49 sq.

Scitū dignum est in intio mensis Maii a. 1911ⁱ Frcl.um Vilelmum Werner²⁰ Abbate Norberto instigante²¹ epistulā quādam circulari ad missionarios missā praecepta edidit, quae ad obiecta ethnographica colligenda et ad observationes ethnographicas spectabant.²² Directa erant haec praecepta illo temporis



Scaena quaedam ex iis, quae aliquando in museo exhibitae erant.

momento tantummodo ad missionarios in Africā laborantes. Causa autem horum praeceptorum erat in eo, quod usque tunc missionarii non satis

20 P. Vilelmus Werner, natus die 2^o m. Nov. a. 1886^o in oppido Frisinga in archidioecesi Frisingensi-Monacensi sito, die 10^o m. Oct. a. 1909^o vota sua in Abbatia Ottiliensi protulit et die 25^o m. Iul. a. 1913^o sacerdotio auctus est. Iuxta studia philosophica et theologica etiam peritiam quandam medicam sibi acquisiverat. Die 7^o m. Sept. a. 1913^o in Africam Orientalem emissus est, ubi iam die 7^o m. Dec. a. 1913^o vitā functus est. - *Cfr* Necrologium 2015, nr 0055, p. 15; PA Werner (ASO, A.1.1).

21 Abbatis Norberti collectiones ethnographicae earumque structuram systematicam interfuisse etiam in eius itineribus visitationis manifestatur. Nam in diariis itinerariis suis exactissime adnotavit, qualia obiecta acquisiverat sive acceperat, quales plantas, fructūs, quales res petrefactas collegerat, res descripsit earumque nomina adnotavit. Praeterea mores consuetudinesque gentium Africanarum, quibus convēnit, observavit vel de eis sibi referre curavit.

22 Wilhelm Werner: Instruktion für ethnographische Beobachtungen und Sammlungen in Deutsch-Ost-Afrika, 1.5.1911 (ASO, A.16.3).
Rhabanus FISCHER: Von der Sammeltätigkeit unserer Missionare. In: Lumen Caecis (1928), pp. 233 sqq. in relatione suā imprimis collectiones animalium insectorumque respicit et indicat praeterea, qui missionarii de his rebus colligendis praesertim bene meriti fuerint.

systematice res collegisse videntur.²³ Ipsa praecepta constant ex septuaginta septem paragraphis brevibus,²⁴ quibus praecipiebatur, qualia indicia ad singula obiecta collecta describenda essent necessaria, qualia obiecta praesertim essent colligenda, de qualibus quaestionibus ethnographicis observationes fierent.²⁵

Anno 1920^o ²⁶ P. Meinulfus Küsters ethnologus eruditus curam musei suscepit.²⁷ Eum hoc fecisse deinde etiam animadvertebatur quoad structuram atque

23 Epistula praeceptis anteposita, 1.5.1911, p. 1 (ASO, A.16.3): «*Ad pleraque obiecta musei nostri indicia necessaria desunt, id quod momento alicuius collectionis non est parvus defectus, praeterea eadem adhuc habet magnas lacunas.*»

24 Praecepta sequebantur schema Berolinense sic dictum, quod Felix von Luschau (1854-1924) anthropologus et ethnographus exaraverat.

25 Exempli gratiā de quaestionibus, qualia genera aedificiorum apud singulas gentes Africanas exstarent, quomodo negotiatio indigenarum fieret, quales essent condiciones politicae, quomodo res iuridicae tractarentur, qualia essent strata socialia, qualem statum mulieres haberent, quomodo liberi educarentur, et sic porro.

26 Inter annos 1913^{um} et 1920^{um} P. Rhabanus Fischer museum curavit.

27 P. Meinulfus Küsters, natus die 25^o m. Ian. a. 1890^o in oppido Kavelaer in dioecesi Monasteriali sito, examine maturitatis superato anno 1910^o monasterium Ottiliense ingressus est et die 8^o m. Oct. a. 1911^o vota sua protulit. Inter annos 1911^{um} et 1913^{um} philosophiae atque theologiae Dillingae studuit, deinde usque ad mensem Iunium a. 1914ⁱ studia peregit apud missionarios Steylenses in loco Mölding prope Vindobonam sito. Die 30^o m. Iun. a. 1914^o sacerdotio auctus est. In Austria deinde studia sua ethnologica suscepit, quae tamen primo bello mundano interrupta sunt. Illo tempore primum in militari valetudinario Ottiliensi cooperatus est. Mense Ianuario a. 1916ⁱ studia ethnologiae atque linguarum Africanarum in studiorum universitate Lipsiensi suscipere potuit, quae tamen mense Aprili a. 1918ⁱ interrumpere coactus erat, cum ad exercitiū accitus esset munere sacerdotis militaris fungens. Denique mense Aprili a. 1919ⁱ P. Meinulfus studia sua Lipsiae continuare valuit, quae anno 1920^o promotione academicā de themate, quod erat «*Das Grab der Afrikaner*», finivit. Deinde P. Meinulfus munere magistri ethnologiae atque scientiarum religionis in Athenaeo Philosophico Ottiliensi functus est et museum missionis curavit. Anno 1923^o P. Meinulfus in Zululandiam emissus est, ubi ut missionarius atque ethnologus operabatur. Adhuc in Africā Meridionali versanti anno 1926^o e Museo Ethnologico Monacensi, cui illo tempore Lucianus Scherman (1864-1946) praeerat, ei propositum est, ut assistens scientificus in illo museo cooperaretur. Hoc propositum, quod Archiabbas Norbertus Weber probavit, P. Meinulfus satis celeriter accepit (de hac re *cfr* etiam Thomas SPREITER: Tagebuch, 30.7.1926; 3.8.1926; 7.8.1926; 9.8.1926; 12.8.1926 (ASO, A.1.8.1)). Inde a mense Septembri a. 1926ⁱ usque ad medium annum 1927^{um} P. Meinulfus in Museo Ethnologico cooperabatur, antequam die 7^o m. Iul. a. 1927^o in Africam Orientalem emissus est. Ibīdem unā ex parte ei impositum erat, ut inspector scholaris Benedictinas scholas illius regionis diiudicaret, alterā ex parte multa obiecta ethnographica Museo Ethnologico destinata collegit atque gentes indigenas intende

systema, quae pro museo quodam omnino necessariae sunt.²⁸ Anno 1922° Museum Missionis omnibus visitoribus accessibile redditus est. Ut obiecta protegerentur, eadem inde ex illo tempore in armariis vitreis asservabantur, quae lignarii Ottiliani specialiter confecerant. P. Meinulfus res exhibitas insuper textibus explicatoriis instruxit.²⁹ Quod museum visitoribus externis aperiabatur videlicet magnum effectum habuit, cum non solum de personis

observavit, quae observationes scientiā missionariorum peritorum sustentabantur atque ditabantur. Die 7° m. Oct. a. 1928° P. Meinulfus in Germaniam revertit et labores in Museo Ethnologico denuo suscipit. Anno 1931° ibidem specialis exhibitio de arte Africanā eiusque relatione cum cultū civili superiore praebita est, quam P. Meinulfus praeparaverat. (De Luciano Scherman ut praepositus Musei Ethnologici et de cooperatione Meinulfi Küsters, praesertim in exhibitione speciali praeparando, cfr Uta WEIGELT: Lucian Scherman (1864-1946) und das Münchner Museum für Völkerkunde. München 2003, pp. 44 sqq. et pp. 114 sq.). Anno 1932° P. Meinulfus munus musei reliquit, cum die 11° m. Oct. a. 1932° denuo in Africam Orientalem emissus est, unde die 19° m. Aug. a. 1936° revertit. Post reditum varia officia exanclavit et praeterea in opera ethnologica incubuit. P. Meinulfus die 12° m. Oct. a. 1947° Tutzingae vitā functus est. - De biographiā cfr Necrologium 2015, nr 0447, p. 51; PA Küsters (ASO, A.1.1); Meinulf Küsters: Lebenslauf, 7.11.1926 (ASO, A.1.8.3 (Nachlass Küsters)); Maria KECSKÉSI: Der Afrikanist P. Meinulf Küsters (OSB) (1890-1947). In: Münchner Beiträge zur Völkerkunde 3, 1990, pp. 331 sq. - In duabus brevibus biographiis, quae sunt Maria KECSKÉSI (ed.): Die Mwera in Sdost-Tansania. Einleitung. München 2012, pp. 25 sq. et Maria KECSKÉSI: Das Lied, der Mönch und die «Lippen negerinnen». In: Aviso. Zeitschrift für Wissenschaft und Kunst in Bayern 1, 2009, pp. 46 sqq. pro dolor nonnulla non bene se habent. Praesertim conspicuum hoc in conexū est Archiabbatem Norbertum Weber ut «*pristinum missionarium Coreanum*» appellari, id quod realitati omnino non convenit.


- 28 Meinulf Küsters: Lebenslauf, 7.11.1926, p. 2 (ASO, A.1.8.3 (Nachlass Küsters)) scribit totam collectionem, qua illo tempore Africa Orientalis atque Corea continebantur, se ducente «*instructam et maximā ex parte in catalogum redactam*» esse.

In Chron. Ottil., m. Apr./Mai. a. 1923 legitur: «*Instructione rei conveniente P. Meinulfus de eo (i.e. de museo) optime meritis est.*»

- 29 In archivo Ottiliensi exstat textus manu scriptus, cui titulus est «Kurzter Führer durch St. Ottiliens Missions-Museum» (ASO, A.16.3). Verisimiliter idem conscriptus est, ut monachis atque hominibus externis per museum circumducentibus labor facilitaretur. Textū continentur octo paginae et duas in partes divisus est (pp. 1-4, pp. 4-8). Primā parte imprimis animalia exhibita enumerantur, sed etiam illae scaenae cum figuris supra commemoratae afferuntur, cum in secundā parte de rebus usūs cottidiani, de armis Africanis, de opificio, de instrumentis musicis sermo fit et etiam oeci Coreani cum obiectis suis commemorantur. Tamen explicationes speciales rerum non inveniuntur. - Quando ille textus conscriptus sit, non apparet, similiter auctor non nominatur. Fortasse P. Meinulfus Küsters eum scripserat, sed hoc pro certo comprobari non potest.

singulis, sed etiam de multis gregibus classibusque scholarum refertur, quae frequenter ad museum vēnērunt.³⁰ Ut homines eo magis ad museum attraherentur et ut effectus discendi maioraretur, anno 1923^o in parietum areis dealbatis picturae artificiorum Africanorum apponi curabantur, quarum exempla P. Meinulfus ex libris scientificis deprompserat. Praeterea plures areae parietum scaenis multicoloribus, quibus vita cottidiana in Africā et in Coreā describebatur, instruebantur.³¹

Decursū annorum museum et in oecis exhibitionis et in depository obiectis et animalibus medicatis, quae ex regionibus missionariis allata sunt, magis magisque expletum est.



*P. Meinulfus Küsters
anno 1932^o receptus.*

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 236, 2024, pp. 207-221]

30 *Cfr* Chron. Ottil., m. Apr./Mai. a. 1923. - Inde ab anno 1925^o - Ottilianis diutius haesitatis - etiam pecunia introitus postulabatur, quā ad museum servandum atque ad collectionem amplificandam aliquid attribueretur. - *Cfr* Chron. Ottil., m. Mart./Apr. a. 1925.

31 *Cfr* Chron. Ottil., m. Apr./Mai. a. 1923.